



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. III. Circa iudicium universale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

## §. III.

## Tentatio III. Circa iudicium universale.

XII. **A** Chatus gravis peccator, dum recogitat, quòd peccata sua quondam in extremo iudicio coram toto mundo sint manifestanda, non modicè turbatur, Christumque propè crudelitatis arguit, eò quòd non contentus privato iudicio post mortem cuiusque statim subeundo, insuper etiam universale instituire voluerit, sicque novam, eamque gravissimam pudoris pœnam adjicere. Quæritur, quomodo iustitia hujus Iudicii illi demonstranda sit?

## Responsio.

XIII. Inprimis illi ostendatur, quòd, cum per iudicium privatum iustitia DEI soli iudicato innotescat, meritò decebat, ut eadem iustitia etiam toti generi humano manifestetur; sicut in humanis etiam iudiciis sententia priùs in carcere reo soli indicatur, postea toti populo ad Rei supplicium accurrenti promulgatur; hinc David Pl. 50. dixit, *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicâris.*

XIV. Secundò ei ostendatur, quòd ipsa etiam Christi gloria exposcebat, ut, sicut ipse ab hominibus injustè iudicatus est publico supplicio & iudicio, ita publico etiam ipse homines iudicio iudicaret, sicque impii viderent, cum confusione maxima, quem summa cum impudentia, injustitiâque crucifixerunt.

XV.

XV. Tertio illi ostendatur, quod, cum homines non solum corpore, sed etiam animam constent, utique conveniens fuerit, ut non anima duntaxat, sed corpus etiam in iudicio compareat, sententiamque, & præmium vel pœnam operum suorum accipiat: hinc Apostolus 2. Cor. 5. dixit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

XVI. Quarto ostendatur id ipsum etiam æquissimum fuisse ad justos gravissimè, iniquissimèque vexatos de suis Adversariis vindicandos. Hinc Salomon Sap. 5. hanc causam indicans ait: *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in jubilatione insperata salutis, dicentes inra se, & pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter Filios DEI, & inter sanctos fors illorum est.*

XVII. Quinto illi ostendatur, etiam ad viventium utilitatem decens fuisse, ut iudicium universale institueretur, ut, quos ipsa supplicii æternitas & formido à peccatis non absterret, ipse certè publici pudoris subeundi metus cohiberet; si enim, in hac etiam vita tantus interdum reos horror publicæ confusionis invenit, ut eandem evitandam ultrò sibi mortem acciverint; quanto magis timor confusionis coram toto genere humano sustinendæ averfanda erit. Certè hoc

motivo Methodius iudicium universale Regi Bulgaria pingens, ipsum cum tota gente illa ad Catholicam fidem traduxit.

§. IV.

*Tentatio IV. Circa damnatorum multitudinem.*

XVIII. **S**tephanus vir honestus, cum concionatorem de paucitate salvandorum loquentem, & quod tempore illo, quo S. Bernardus mortuus est, inter sexaginta millia hominum in iudicio apparentium non nisi quatuor animæ salvatæ fuerint, narrantem audivisset, imaginari sibi non potest, quomodo hoc, salvâ DEI infinitâ bonitate, contingere potuerit. Itaque tentationem hanc suam confessorio suo manifestat. Quæritur, quid illi respondendum sit?

*Responsio.*

XIX. Inprimis illi ostendatur, quod, si peccantes cum damnatis comparentur, omnino reperturus sit, majorem longè esse Misericordiam, quàm Justitiam DEI; quàm multi enim delinquant; nec tamen puniuntur. Quis autem si plures Majestatis læsæ rei forent, & ex illis plures quidem punirentur, sed tamen multi veniam obtinerent, non magis Regis læsi clementiam deprædicaret, quàm severitatem argueret.

XX. Secundò ostendatur, cum ex una parte multæ rationes persuadeant, liberum homini arbitrium relinquendum fuisse; ex altera verò parte ipsa S. Scriptura

ptura